



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theses Logico-Theologicae Pertinentes ad anteriores Theses defensas in Collegio Adriani VI. Pontificis

Huygens, Gommarus

[Lovanii], [1684?]

Conclusio Secunda. Logicè examinatur sensus quem prædictus Author dat
ante-dictæ suæ doctrinæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40533

est. Siquidem ista interpretabar in hunc modum : opinionem probabilem à se descriptam, moraliter certam, vel, quod idem illi valet, probabiliozem esse probat, quia *sua opinio cuique est probabilior*; cum aliàs contra suppositum non esset ei probabilis. Hanc doctrinæ illius interpretationem non malâ, ut ipse vult, sed bonâ omninò fide isti verborum expressioni dedi, eiq̃ue etiam adeo putavi, & etiamnum puto. Neque etiam adeo exotica est hæc mea interpretatio, ut propterea de mala interpretandi fide accusari debeam. Etenim proprie loquendo opinio non est alicui probabilis, nisi ipsi illa probetur; adeoque nisi ei assentiatur; jam verò nemo assentitur ulli propositioni, nisi ob motiva quæ sibi iusta videntur; imò non nisi ob talia, quæ ponderatis omnibus sibi tam pro veritate, quàm pro falsitate notis, existimat veritatem potius quàm falsitatem probare; hinc supponebam, quod & Adversarium supponere existimo, neminem esse qui suam opinionem non habeat ut probabiliozem: cum aliàs non esset ei probabilis. Quare hæc illius Authoris verba: *Nam sua cuique opinio probabilior est, aut verè probabilis non est*, adhuc existimo habere hunc sensum connaturalem: *Nam sua cuique opinio est probabilior, cum aliàs, contra quod supponitur, non esset ei probabilis.*

CONCLUSIO SECUNDA.

Logicè examinatur sensus quem prædictus Author dat ante-dictæ suæ doctrinæ.

UTI ex Conclusionem anteriorem patet quem sensum nos dederimus doctrinæ illius Authoris adversus quem agimus, ita ex hac Conclusionem videbitur quem sensum ipse Author det eidem doctrinæ, vel dare debet, si consequenter velit loqui. Dicit ipse non semel se non asseruisse hanc enuntiationem simplicem: *sua cuique opinio est probabilior*; sed posuisse hanc disjunctivam: *sua cuique opinio est probabilior, aut verè probabilis non est*. Admittamus ergò illi quòd posuerit istam enuntiationem non solum quatenus expressione, sed quatenus etiam sensu est disjunctiva. Hoc admisso notandum, quòd doctrina istius Authoris anteriori Conclusionem allegata contineat quandam probationem, sive consequentiam significatam voculâ *nam*, dum ait: *NAM sua cuique opinio est probabilior, aut verè probabilis non est*; quæ consequentia fundatur in ista enuntiatione, ut modò vult, disjunctiva tamquam in antecedente; ita ut probatio reducatur ad hanc formam: omnis opinio probabilis (scilicet ab eo descripta) est moraliter certa, vel, quod idem ei valet, probabilior; quia sua cuique opinio est probabilior, aut verè probabilis non est: sive ad hanc: sua cuique opinio est probabilior, aut verè probabilis non est; ergo opinio probabilis est moraliter certa, vel, quod idem ei valet, probabilior. Hanc consequentiam dico ego monstruosam esse, & probo in hunc modum. Antecedens est enuntiatio, ut modò vult, disjunctiva, & quidem affirmativa: nunc verò cuilibet notissimum est, quòd ejusmodi disjunctiva ex qualibet sua parte proxima veluti antecedente necessariò inferatur: ex. gr. hæc, *Ioannes est doctus, vel Ioannes est probus*, inferitur ex hac seorsim: *Ioannes est doctus*; prout etiam seorsim ex illa, *Ioannes est probus*: & hoc commune est omnibus ejusmodi disjunctivis. Quidquid proinde ab antedicto Authore legitime inferitur ex ista disjunctiva; *sua cuique opinio est probabilior aut verè probabilis non est*, debet etiam posse inferri ex illa seorsim, *sua cuique opinio est probabilior*; item ex hac, *verè probabilis non est*. Jam verò prorsus monstruosa, quin & omni specie veritatis carens est hæc consequentia: sua opinio non est alicui verè probabilis; ergò est moraliter certa, sive, quod Authori isti idem valet, probabilior: nam ut ante dictum, quidquid sequitur ex disjunctiva affirmativa sequi debet ex qualibet ejus parte seorsim. Nunc igitur expendat istius doctrinæ Author an admittere malit monstruosam illam consequentiam (illam enim admittere debet juxta suam interpretationem) an verò præeligat nostram interpretationem, quæ admittit consequenter admittere debet quòd sua opinio non solum cuique fit probabilior, sed etiam moraliter certa, ac morum regula; adeoque quòd Propositiones 67. ab Innocentio XI. condemnatæ, fuerint morum regula, cum tamen idcirco condemnatæ sint, quia erant scandalosæ & in praxi perniciosæ.